

† R. P. Ioannes Banken (1884-1955)

(Prov. Bonaëren.)



Defuncto confratri applicari possunt verba biblica de Job (1, 1) dicta: « *Erat vir ille simplex, et rectus, ac timens Deum, et recedens a malo* ». Quaedam propositorum tenacia ei innata esse videbatur. Parum loquebatur. Alienus erat a rebus mundanis, curans unice suam operae apostolicae portionem verum inter labores etiam fovebat vitam interiorem orationis.

Ioannes Banken natus est in Ottenstein Westfaliae 16 Febr. 1884, filius primi magistratus loci. Probabiliter vicinia nostri collegii Glanerbrug eum conduxit ad nostrum iuvenatum Vaalsensem. Nuncupavit vota nostri Instituti 14 Sept. 1906 et 8 Oct. 1912 sacerdotio auctus est.

Ex septuaginta et uno annis vitae P. Banken tantum undetriginta in Europa transegit, reliquos in terris hodiernae Provinciae Bonaërensis! Valetudo eius,

quae diu fuerat valde robusta, forti diabete concuti coepit, donec bonus Pater 19 Ian. 1955 Rosarii in refectorio, ubi ientaculum mane sumpserat, gravi apoplexia tactus est. Delatus in vicinum nosocomium, ibi animam meritis onustam Creatori suo reddidit fer. VI 21 Ianuarii. Corpus tumulatum est in coemeterio domus studentatus Villa Allende.

Toto tempore, quo P. Banken in America Meridionali vixit, nunquam Superior fuit, sed semper gregarius miles, adscriptus per vices variis domibus. Admirabili zelo et constantia praesertim duas apostolatus formas colebat, permutando illicitos catholicorum convictus in vera matrimonia christiana et aegrotis moribundisque sacerdotalem assistentiam praestando. Priore caritatis opere sibi promeruit titulum honoris plane novum, scil. « *Casamentero formidable* » (immanis matrimoniorum promotor). Tenacitas eius westfaliana non cedebat nec ulli repulsae nec aliis difficultatibus; sed inde haud raro facta oriebantur et adiuncta, quae confratribus in recreatione abundantem risus materiam praebebant.

Infatigabilis quoque P. Banken erat in aegrotantibus spiritualiter iuandis. Quo tempore in domo Salta degebat, videres eum omni hebdomade bis terve ad regiones montanas equitantes, saepe itinere decem et amplius horarum, ut moribundis atque infirmis catholicae religionis solacia afferret. Hoc arduum apostolatus opus existimabat sibi proprium. Postea, adscriptus paroeciis nostris Rosario et Goya, inter aegrotos domi detentos usum salutarem communionis frequentis promovere coepit. Habebat omnium infirmorum paroeciae accuratum elenchum, et quasi non erat dies quin Iesum Eucharisticum pientissime ad aliquot domicilia deferret.

Praeterea in utraque paroecia in se suscepit ingentem laborem constituendi censum parochianorum iuxta familias. Sic Rosarii usque ad a. 1937 confecerat charthothecam 10.000 familiarum, quam deinde perficere ac supplere satagebat usque ad ultimum vitae tempus.

Illis triginta annis, quibus in nostra magna paroecia Rosariensi vicarius cooperatore erat, administravit baptismata 24.000 et benedixit matrimonia 13.000; quae summae augendae essent sacramentis ab eo foris in missionibus administratis.

Defleti igitur Patris Banken memoria in benedictiones sit semper, tum penes numerosos eius poenitentes, sive sacerdotes sive laicos, tum penes tot familias huius sacerdotis beneficiis spiritualibus ditatas, tandem penes confratres, quos semper suo exemplo docuit pretioso tempore bene uti et a nullo sacrificio refugere. Hic constans spiritus sacrificii fortasse fuit eius virtus maxime eminens.

R. I. P.